

4°

H. aux.

785

ENEALOGIA
V STRISSIMORVM
INCIPVM MARCHIO.
NVM BRANDENBURGENSIVM.
EX PROBATISSIMIS
HISTORIOPGRAPHIS
COLLECTA:




PER

GEORGIVM SEIFRIDVM
Medicinae Doctorem.

VVITEBERGÆ.

1555.

D. Magister Alfonsi Harring
canonicus Coloniensis Oselsbachensis ann.
M. Georgius Griffidus Ed



2221



ILLVSTRISSI-
MO PRINCIPI AC DOMINO,
D. GEORGIO FRIDERICO, MAR-
chioni Brandenburgensi, Stetini, Pomera-
niae, Cassuborum, Sclauorum Duci,
Burggrauio Norinbergensi &c.

Domino suo clemen-

tissimo.



ALVTE M Illusterrissime
ac clementissime Princeps.
Multum posteritati cognitio-
nem historiarum ac stirpium
summorum Regum, Princi-
pum ac Ducum, in quibus
excellens uirtutis, doctrinæ & sapientiæ laus
conseruata fuit, cum ad alliciendos animos ad
pietatem ac modestiam sinceram, tum pulchri-
tudinem uirtutis heroicæ eximiam profuisse
manifestum est, unde ueteres Poetas quoque
in Genealogijs depingendis, studiose & ac-
curate occupatos fuisse legimus. Sicut Pinda-
rus Græcorum Principum stirpes saepissime

A 2 repetit,

repetit, ut suos Duces, qui tunc ad gubernationem sedebant, ad amplectendam Iusticiam, & cæteras pulcherrimas uirtutes, inuitaret, & quasi illo auitæ nobilitatis æuæ dulcissimo, generosos animos ad pietatem & æquitatem perduceret. Quare cum prisci annales nobilitatem stirpium summis encomijs celebrent, merito Regum nostrorum, ac Principum, qui non tantum eos sapientia ac pietate superant, sed uera Dei agnitione antecellunt, familiæ a longa serie repetendæ erunt.

Decreui itaq; Illustrissime Princeps, C. T. Genealogiam Illustrissimæ domus Marchiacæ, quam parens Georgius Seifridus, Ilustrissimi Principis Georgij diuæ memoriae C. T. patris, Medici functus officio, maxima cum assiduitate, & crebra Historiographorum lectione, conscripsit, dedicare, eo, quia C. T. ex illustri ac diuina illa Marchionum Brandenburgensium domo, natam esse, stirpemq; hanc Illustrissimam, Heroicamq; boni consulturam, certo statuebam, cum C. T. studia humaniora summo studio promouere notissimum sit.

Constat

Constat autem clementissime Princeps,
multos in hac Principum γενεαλογίᾳ contexen-
da laborasse, uerum parum fœliciter, eos præ-
sertim, qui huius arboris radicem a Troia-
nis, aut si quid illis est remotius, petuerunt,
quasi nemo illustris habendus sit, nisi generis
sui initium ab illis ducat, aut trahat. Nam si
ille Illustris, qui ab antiqua maiorum nobili-
tate non degenerat, sane illustriss: Princeps,
qui maiorum uestigia ab ineunte ætate, tum
moribus integerrimis, tum studijs, & pietate
es assequutus, omni uirtutum genere ornatus,
& nobilitatis antiquæ Heros existis, merito
inter Illustres Illustrissimus, inter Generosos
generosissimus, appellaris, Id quod clarius in
hac Illustrissimorum Principum Genealogia
patebit.

Quare Illustrissime Princeps C. T.
hoc munusculum Historicum dedico, ac C.
T. ut boni consulat, me meaque studia com-
mendata habeat, humiliter rogo. Deus opti-
mus maximus C. T. una cum tota familia do-
mus Brandenburgensium, regat, eiusque stu-
dia, consilia, conatusque suo sancto Spiritu

A 3 gubernans

guhernet. Valeat C. T. in annos Cumæos,
meq; commendatum habeat. Datæ Vuite-
bergæ, Anno 1554. die XIII. Calend.
Decemb: quo die Illustrissimus Princeps,
herosq; Albertus Marchio Brandenburgens-
sis, sacri Romani Imperij Elector, ob res
egregie gestas G E R M A N I C V S
A C H I D L E S cognominatus, na-
tus est, Anno 1414. hora octaua
matutina &c. Iterum foeliciter
ualeat C. T.

deditissimus

Georgius Seifridus
Junior Kitthingensis.

A

GENEALOGIA ILLVSTRISSIMAE DOMVS MARCHIONVM BRAN^{ce} denburgensium.



Omanorum Imperatores; in amplissimis Imperij ciuitatibus, Burggrauios olim constituisse, & hos ut plurimum in Comites confessi, constat. Cuius rei fidem in Norinbergensibus Burggrauis obseruatam esse uidemus.

Burggrauatu igitur Norinbergensi uacante, eundem Rex Romanorum Rodolphus Comes de Habsburg, qui obiit Spiræ, FRIDERICO Primus Burggrauus Comiti à Zollern, sororio suo, Anno restitutæ sa- luti 1273, contulit. A quo descenderunt Burggrauii Norinbergenses, usq; ad FRIDERICVM, qui primus Electoratus Imperij dignitatem in hanc Burggrauiorum familiam adduxit. Qui Comes à Zollern, primus Norinbergensis Burggrauius uxori duxit Elisabetham, Ottonis Meroniæ Ducis filiam, ex qua genuit duos filios, FRIDERICVM & CONRADVM. Hic FRIDERICVS à Zollern moritur 14. Augusti Norinbergæ, Anno 1290. Cui succedit filius FRIDERICVS, qui ex uxore Margaretha Carinthiæ Ducis filia, quatuor secundus filios genuit sequentes. Moritur uero FRIDERICVS Anno 1330, 6. Maij.

Filiij Friderici
secundi Burg-
grauij.

BERTHOLDVM ordini Teutonicis
rum Dominorum anno suæ ætatis 15. insertum, qui
honeste, maximaq; cum laude in eo uitam peregit,
tam diu, donec in Francia Orientali primum, ac tan-
dem in Borussia etiam fieret Prouincialis commen-
dator. His dignitatibus officijsq; præfuit ad annum
usq; suæ ætatis 31. Tum à Pontifice Maximo Clemen-
te VI. eius nominis, anno 1351. Episcopus Aich-
stedianus designatur ac confirmatur, cui præfuit uti-
lissime annos 14. Ac anno 1365. ex hac uita seces-
sit.

II. FRIDERICVM Ratisbonensis Eccle-
siæ Episcopum.

III. ALBERTVM cui Sophia ex Henne-
bergensi domo, fuit desponsata, Moritur anno 1361.
4. Aprilis.

III. IOHANNEM, cui uxor erat Elisabetha
ab Hennenberg, ex qua natus est FRIDERI-
CVS, Moritur anno 1357. 7. Octob.

Tertius. CONRADVS Friderici à Zollern filius
secundus, Agnetem de Hohenloe uxorem duxit,
ex qua nati sunt tres filij, quos Teutonicorum ordini
mancipauit, Anno 1295. Idem Conradus constru-
xit nouum Collegium in Spalt eodem anno, Mo-
tur 1334. 2. Martij.

Quartus. FRIDERICVS Iohannis filius uxorem
habuit Elisabetham, Friderici Landgrauj Thurin-
giae ac Misniae Marchionis filiam, ex qua nati sunt
filij

filij duo, filiæ vero nouem, quorum nomina sequuntur ordine.

I OHANNES natu maior, cui sponsa erat Margareta, Caroli quarti Imperatoris, & Regis Bohemiæ filia, ex qua nata est ELISABETHA, quæ nupsit EBERHARDO Vuirtebergenſi Comiti, qui Iohannes Blasenburgij, anno 1420, moritur.

II. FRIDERICVS, qui duxit Elisabetham Quintus. Friderici Ducis Bauariæ filiam, ex qua genuit quatuor filios, & quinque filias. Hic primus Electoratus imperij dignitatem in hanc familiam adduxit, de quo plura infra.

III. ELISABETHA, quæ despontata fuit Ruperto Bauariæ Duci, Palatino Rheni, qui anno 1400, in Romanorum Regem electus est, & coronatus Aquisgrani, à Friderico Colonensi Archiepiscopo.

IV. BEATRIX, quæ Alberto tertio, Duci Austriae nupsit, qui Vniuersitatem laudabilem Vicennæ 1363. instituit.

V. MARGARETA, hæc matrimoniali foedere Hermanno Cathorum Landgrauio iungitur.

VI. ANNA ex Burggrauiorum stemmate nata, fuit Abbatissa uulgo zu der Himmelkron. Anno 1383.

VII. CATHARINA una cum Sorore AGNETE, fuere Virgines uestales, ac uitam elegerunt coelibem. Porro aliae tres filiae IX. X. XI. quasi in ipsis obiere cunis, ob id nomina ignoramus.

B Anno

Ex Nauclero
Tubingensi
Præfatio.

Anno præterea, ut paulo altius repetam 1319.
Volcmarus, alij Goldemarus, Marchio Brandenburgensis, absq; liberis obiit, factaq; est rursus Marchionum defectio, ubi Marchionatus ad Imperium fuit deuolutus, quem Rex Lodouicus Bavarus, Filius suo, LODOVICO ROMANO dedit.

Vide Albertū
Kranz.

Carion. 1570.

Anno 1411.
Fran. Irenicus.
Anno 1417.
Papa Pius de
Europa.
Cap. I.

Hæc ex Nau-
clero genera-
tione 48 Clr
nographia,

ANNO uero Domini 1352. LODOVICVS ROMANVS Marchio Brandenburgensis, Carolo quarto, illius ætatis Cæsari, Marchionatum uendidisse fertur, qui eum filio suo Sigismondo reliquit. Sigismundus uero Imperator factus, Marchionatum Brandenburgensem FRIDERICO (qui habuit uxorem Friderici Ducis Bauariae filiam) Burggraui Norinbergensi, in Concilio Constantiensi, Anno 1417, pro se, & successoribus, dono dedit. Fuit enim Imperatori inter caros amicos semper habitus. Quem & de eodem Marchionatu, in octava Paschæ ante prandium, cum maxima Pompa inuestiuit, hoc modo. Mane facto quidam Comites, Barones ac Nobiles, cateruatim equitabant per ciuitatem, ter ducentes duo uexilla, tubis læticiae signa sonantibus. His quasi præludijs habitis, conuenerunt omnes Principes, ad habitationem Burggrauij, deferentes minuta uexilla, futuri Principis insignia, deduxeruntq; FRIDERICVM Burggrauium ad forum, ubi erant tabulata. Cæsar in capite Coronam gestans condescendit. Postquam uero in throno confedit, Etores Imperij, qui aderant in suo habitu à dextris, partim

partim à sinistris in officio stabant. Postea ascendit Burggrauius ducens secum duos milites, Marchiæ ac Burggrauiatuſ uexilla in manibus tenentes, pro uolutusq; Imperatoris genubus, petebat ſe Marchionem creari, atq; de Marchia inuestiri. Mox leſtæ ſunt literæ, iuxta quarum tenorem deberet iurare, præſtitio ſic iuramento, creatus eſt FRIDE RICVS in Marchionem Brandenburgensem, deq; Marchia iuxta morem Curiæ, extitit inuestitus.

Dedit illi REX primo uexillum Marchiæ in manus, poſtea pomum & ſceptrum, quæ gera bat Comes Palatinus Rheni, ac cinxit eum gladio etc.

Qui FRIDERICVS teſtamentum poſtea conditurus, ac inter filios hæreditatem diuiſi-
rus, quatuor ad ſe filios uocauit, Iohannem, Frideri-
cum, Albertum & aliū Fridericum. Ac IO-
HANNEM, cui Electoratus Imperij dignitas,
tanquam primogenito debebatur, in hunc modum
allocutus eſt. Primus ego, ut noſti, hanc digni-
tatem in noſtram familiā adduxi, nunc uocat me
ſuprema neceſſitas, curæ mihi eſt, ne tantum decus
in domo noſtra uileſcat, tibi, ut uideo, quietis &
uoluptatis unicum ſtudium, in Electoratuſ præter
curam & aſſiduum laborem nihil inuenies. Eam
ob cauſam, ſi tua uoluntate id poſſum, Marchionat-
um Brandenburgensem, cui ijs eligendi Cæſarem
eſt confeſſum, FRIDERICO, qui tibi ætate
ſuccedit, quiq; eſt uigilantior, & ad labores durior,

Vide Pium Pa-
pam de Euro-
pa. Cap. 39.

Vide Naucle-
rum genera-
tio. 43.

quam tu, uidetur esse, testamento relinquam. Tibi
Boetlandiam. ALBERTO quidquid Franco-
nici iuris possideo. FRIDERICVM uero iu-
niorem cohæredem Marchiæ instituo. Cui
IOHANNES, existimauit pater, inquit, ante
hunc diem, chariorem multo, quam me, Fridericum
esse, neq; id ferre non ægre potui, nunc sententiam
muto, & te Pater amo, coloq; quod mihi ocium, illi
negotium supra uoluntate dimittis &c.

Filij Friderici,
I Electoris. Qui FRIDERICVS senior, primus Elec-
tor ex Elisabetha sequentes nouem genuit liberos,
Moritur uero post factum testamentum. Anno
1440.

Liberi Iohanna-
nis, filij Fride-
rici.
I. IOHANNEM Marchionem, FRIDE-
RICI primogenitum, qui uxorem habuit, Barba-
ram Saxonie Ducis natam, quæ tres filias edidit,
quarum nomina iam sequuntur.

II. BARBARAM desponsatam Mantuano-
Marchioni.

DOROTHEAM, quæ Danorum Re-
gi nupsit.

III. MAGDALENAM, quam Otto Dux
Stetinensis duxit. IOHANNES uero Marchio
moritur in Beyersdorff, Anno 1464. In fonte sa-
lutis terræ mandatus.

II. Elector. FRIDERICVM filium FRI-
DERICI senioris secundum, qui Catharinam ex
nobili prosapia Saxonie Ducum duxit, quæ duas
peperit filias, DOROTHEAM & MAR-
GARETAM.

Hic

Hic Fridericus, quem Pater testamento Elec-
torem instituit, inter Germaniae Principes sapien-
tiā clarus fuit, ueritatis item amator, iusti ac honesti
tenacissimus. Cuius consilio multæ sāpe prouinciæ
sunt pacatæ. Hic cum posset regnum Poloniæ
per Baronum electionem consequi, recusauit.

Nam postquam Vladislaus in Turcarum bel-
lo cecidit, Poloniæ proceres de successore solliciti,
FRIDERICVM hunc, qui pueritiam in regno
no transegerat, linguamq; gentis ac mores tenebat,
ut regnum acciperet, rogauerunt.

Verum respondit, Casimirum Lituaniæ Du-
cem defuncti fratrī extare hæredem, nec uoluit ei
iniuriam inferre.

Ingens profecto laus, & magnum Germani
nominis decus. Quamuis sint, qui non tam iusticiæ
quam ignauiaæ, alienis abstinere regnis, tribuant.
Quod factum, uel Principe dignum, omnes boni
propter summam iusticiam FRIDERICI ex
æquo probant. Moritur anno 1471, 10. Februarij.

ALBERTVM filium tertium, natum
anno 1414. hora 7. matutina, Marchionem Bran- III. Elector.
denburgensem, ac Electorem, qui ob res præclare ge-
stas nominatus, ACHILLES GERMANI-
CVS. Duas habuit uxores, unam Margaretam
Illustrissimi Principis IACOBI Marchionis de
Baden filiam, ex qua filium unum, & tres filias acce-
pit. IOANNEM, VRSVLAM, E-
LISABETHAM, & MARGARE-
B ij TAM,

T A M, de quibus infra plura. Porro Margareta
prima coniunx Marchionis Alberti obiit Onolsba-
chij, Anno 1457.

Alteram coniugem Annam Friderici Saxo-
niæ Ducis filiam, Anno 1459, quæ quinq; filios,
& septem filias peperit, scilicet.

- | | | | |
|----|--------------|-----|--------------|
| 1. | Fridericum. | 7. | Albertum. |
| 2. | Aemiliam. | 8. | Dorotheam. |
| 3. | Barbaram. | 9. | Georgium. |
| 4. | Albertum. | 10. | Elisabetham. |
| 5. | Sybillam. | 11. | Magdalenam. |
| 6. | Sigismundum. | 12. | Anastasiam. |

De quibus infra copiosius,

III. ELISABETHAM filiam FRIDERICI, & Sororem ALBERTI Germanici Achillii Electoris, quæ Bregnenſi & Lignitij Duci nupsit.

V. CECILIAM, quæ Vilhelmo Duci Brunsuicensi nupsit.

VI. MAGDALENAM, quæ Duci Friderico Bauariæ desponsata est.

VII. MARGARETAM, quam in matrimonium duxit Ludouicus Gibbosus, Dux Bauariæ.

VIII. DOROTHEAM, quam Duci Megapolitano desponsatam fuisse ferunt.

IX. FRIDERICVM Iuniorem, quem Pater in Testamento Marchiæ cohæredem instituit, una tantum filiola donatus est, quæ Magdalena nupsit

fit Eytel Friderico, Comiti à Collern. Hic FRI-
DERICVS IV NIOR, Anno 1463. obiit.

A L B E R T V S inquam nunquam satis laudatus, ab ipsa pueritia in armis educatus, pluribus interfuit prælijs, quam alij sui temporis Duces aut uiderint, aut legerint, militauit in Polonia, pugnanit in Silesia, Castra posuit in Prussia, hostes in Bohemia uicit, nullus in Germania angulus, quem non calcarit armatus, duxit exercitus innumerabiles, ferociissimos hostes prostrauit, munitissimas urbes expugnauit, in congressibus pugnam prior iniit, uictor à prælio excessit ultimus. In oppugnatione oppidorum saepe murum primus ascendit, ad singularē certamen crebrius à uiciniis prouocatus, nunquam detrectauit, Nunquam non hostem stravit, In militaribus quibus hasta contenditur, unus omnium repertus est, qui nunquam equo deiectus sit, & omnes in se currentes deiecit. Ex torneamentis nunquam non uictor exiuit, septies ac decies, solo testus clypeo ac galea, cætera nudus, ut est apud Germanos duelli quedam species, in prouocatores pariter armatos, acuta lancea cucurrit, nullo unquam damno affectus, cum aduersarios nunquam ipse non equo deturbauerit. Prudens prætereo graue & atrox bellum, quod Norinbergenibus intulit, in quo nouem feruntur commissa prælia, ex quibus octies Albertus uictor excellit, saltem in uno uictus succubuit. In quo Principe non solum militares artes, & Imperatoriæ uirtutes, singulari quadam gratia.

Vide Cario-
nem de electio-
ne Maximi-
liani Cæsaris.

Habuit dona bina
osa continua
loco donis.

Papa Pius in
Cosmogra-
phia.

Vide Aeneam
Sylvium.

gratia eluxere. Sed nobilitas quoque generis, proceritas corporis, virium robur, ac linguae facundia, pene divitium reddidere. Habuit itaque Albertus Elector, in quo & arbor primum bifurcari coepit, sedecim ut diximus liberos, quorum nomina iam sequuntur.

I.

Pili Alberti
Germanici
Achillii.

IIII. Elector
Vide Albertum
Krantz.
lib. 9. Ca. 30.

II.

III.

IIII.

V.

VI.

JOHANNEM, natum Anno 1455, cui desponsata est, Margareta, Vuihelmi Saxonie Ducis filia, Anno 1476, quae illi est enixa duos filios, & tres filias, ANNAM, IOACHIMVM, ELISABETHAM, VRSVLAM, ALBERTVM, de quibus infra.

VRSVLAM filiam Alberti Electoris, quae desponsata fuit Henrico duci de Munsterberg, Regis Bohemiae filio, Nascitur 1450.

ELISABETHAM, quae anno 1451, nascitur, ac nupsit Eberhardo Vuirtebergensi Duci, qui inclytam Academiam Tubingensem maxima prudentia ac laude fundari curauit, Anno 1477.

MARGARETHAM quae Curiæ causam libem uitam duxit, nascitur Anno 1453.

FRIDERICVM qui duxit Sophiam Casimir Regis Poloniae filiam, auxit hanc familiam 17, liberis, quorum nomina suo loco & ordine describuntur, Nascitur anno 1460.

AEMILIAM, quae nupsit Ludouici Palatini Ducis filio, ac in Thermis Badensibus, anno 1481, mortua,

Barba-

BARBARAM, quæ Henrico, Silesiæ
Duci, Croscensi & maioris Clogouiaæ, est desponsa-
ta.

VII.

ALBERTVM qui puer moriebatur.
SIBYLLAM quæ Vilhelmo à Lulich &
Berg Ducí, matrimoniali fôdere iuncta fuit.

VIII.
IX.

SIGISMUNDVM, qui absq; uxore &
liberis moritur, anno 1495, anno ætatis 27.

X.
XI.

ALBERTVM qui anno 1470, nasci-
tur, & eodem anno moritur.

XI.

DOROTHEAM, quæ anno 1471, na-
scitur, & Bambergæ apud sanctam Claram, Virgi-
nem uestalem egit.

XII.

GEORGIVM, qui anno salutis 1474:
Cadolburgij diem clausit extremum.

XIII.

ELISABETHAM quæ anno 1474,
nascitur.

XIII.

MAGDALENAM natam anno 1476.

XV.

ANASTASIAM, quæ in hanc lucem
edita anno 1478, ac Ducí Vilhelmo ab Hennen-
berg est desponsata. At tantum de liberis Germa-
nici Achillis.

XVI.

ALBERTVS Marchio Brandenbur-
gensis, ac sacri Romani imperij Elector, iam iam mo-
riens (Francofordiæ enim II. Martij. Anno 1486,
obijt) tunc, ubi Maximilianus Imperator creabatur,
hæreditatem filijs suis diuisi, cœpit enim in eo ar-
bor bifurcari, ac IOHANNEM Marchiæ, SI-
GISMUNDVM Boetlandiæ, FRIDERI-
CVM uero Franconiæ regionis successores reli-

Cquit,

quit. Verum SIGISMUND O mortuo abfē
uxore, & liberis, tota nunchæreditas ad FRIDE-
RICVM respiciebat.

Liberi Iohannes
nis filij Alber-
ti Germani.
Achil.

I.

II.
V. Elector.

III.

Reliquum igitur est, ut aliquid significemus
de liberis IOHANNIS filij ALBERTIEle-
ctoris primogeniti.

ANNAM quæ nascitur, anno 1487.
nupsitq; Friderico Holsatiae, Duci Fratri Iohannis re-
gis Daciæ. Vixit annis 34. fere, obiit uero anno
1514.

IOACHIMVM Principem Electorem
natum, anno 1484. fuit Princeps doctrina & pie-
tate sincera clarus, summacum laude inclytam Aca-
demiam Francofordensem ad Viadrum fundari cu-
rauit, anno 1506. Multos ad discendum doctrinam
de Deo cæterasq; artes humaniores uocauit, eosq;
largin stipendijs adiuuuit. In comitijs Augustanis man-
dato Imperatoris Rhetoris functus munere, tali fa-
cundia coniuncta cum eruditione eximia præditus
fuit, ut maiores suos pene superarit maximis uirtutis
bus, quæ animum Heroicum decent, dotatus, trium
linguarum cognitione instructus, Erat & pacis stu-
dioliis & subditos pacificis uelis regebat, propterea
eum à Ducibus cæterisq; statibus Imperij honoribus
maximis ornatum fuisse in confessio est omnium.
Duxit Elisabetham Iohannis Danorum regis filiam,
quæ peperit ei duos filios, filias uero tres, quarum
suo loco sequuntur nomina.

ELISABETHAM natam, Anno
1486.

Vrsula

V R S V L A M, quæ anno 1437, nata est,
nupsitq; Duci Mechapolitan.

III.

A L B E R T V M Marchionem Branden-
burgensem, qui natus est Anno 1490. Et Episco-
pus Moguntinensis & Magdeburgensis, Primas,
præfulum Germaniæ, à Pontifice Max: Leone X.
creatus. A N N O 1514. IX. Martij, assumptus in
administrationem Ecclesie Halberstadiensis anno
1513. præfuit annis 32. donatusq; Galero Cardina-
licio ab eodem Pontifice, coronatusque Augustæ
Vindelicorum Anno 1518. Princeps sapientia, do-
ctrina ac pietate clarus, qui & elegit Inuictissimum
Carolum V. Imperatorem, una cum Fratre Ferdinando. Obiit uero Anno 1545. V III Cal. Octob.
sepultusq; Moguntij in Basilica sancti Martini Ca-
thedrali, post summam aram, sub rubeo marmore.

V.

Nunc de filijs Ioachimi I. huius nominis Ele-
ctoris dicendum.

Filij Ioachimi
I. Electoris.

I.

I O A C H I M V M II. Electorem natum,
Anno 1505. qui hodie Marchiam tenet, eamq;
summa pietate gubernat. duas habuit uxores, pri-
mam Georgij Saxonie Ducis filiam, quæ auxit
Brandenburgensium domum, quinq; filijs, filiabus
uero duabus.

I O H A N N E G E O R G I O Marchi-
one Brandenburgensi, qui nascitur anno 1525. ge-
nuit ex Ducissa Lignicensi Filium Fridericum Io-
achimum, postea duxit uxorem Illustrissimi Princi-
pis Georgij (diuæ memoriae) Marchionis Branden-
burgensi.

Liberi Ioachim
mi II. Elector.

I.

burgensis filiam Sabinam, ex qua natus est filius Georgius Albertus, Die 19. Februarij hora 1, noctis minuto 45. Anno 1555.

II. BARBARA.

III. ELISABETHA quæ statim post annum moritur.

III. FRIDERICO qui fuit Archiepiscopus Magdeburgensis, administrator Halberstadiensis, primas Germaniae, Moritur Anno 1552. 3. Octob.

V. ALBERTO geminis, qui in ipsis cunis
VI. GEORGIO quasi obiere.

VII. PAULO, uix Christianæ religioni per sacram absolutionem initiato, una cum matre obit.

VIII. Alteram, Hedwigin Regis Poloniae filiam, quæ Principi Electori Ioachimo II. Vnum filium, foemellas uero tres est enixa. ELISLBETHAM.

V. MAGDALENAM.

X. SIGISMUNDVM, natum anno 1538. Die 2. Decemb. septima uestertina, Archiepiscopum Magdeburgensem, coadiutorem Halberstadiensem, ac primatem Germaniae.

I. HEDVIGIN, quæ anno 1540. est nata.

II. ANNAM filiam Ioachimi Electoris 1. Soreorem Ioachimi 2. quæ nascitur anno 1507. nupsit Alberto Mechapolitano Duci.

III. ELISABETHAM, natam, anno 1510. quæ nupsit Erico Duci Brunswicensi.

IV. MARGARETAM, quæ nascitur anno 1511. nupsit Georgio, Duci Pomeranie, postea Iohanni Duci ab Anhalt.

Vide Iohannem Tritemizum Abbatem Spanh. III.

Iohann

JOHANNEM Principem prudentia ac
pietate prestantem, studiorum fautorem summum,
natum anno 1513, duxit uxorem Catharinam, Henri-
ci Brunsuicensis Ducis filiam, quę enixa est duas fi-
lias, Elisabetham & Catharinam.

V.

Restat nunc ut aliquid dicamus de liberis Friderici filij Alberti Electoris Germanici Achillis, qui Liberi Friderici filij Al-
FRIDERICVS & pacis & belli artes edoctus, bertii Germanici Achillis.
anno 1460, nascitur, & maiorum suorum uestigia
secutus amicis suppetias tulit, hostes uero fortissi-
mos uicit, cuius fortitudinem anno 1504. tota sen-
sit Bohemia, cui Friderico iam senio confecto, **CASIMIRVS** filius baculus, fratrum consilio con-
stituitur, Sicq; patrem regendi onere etiam Impera-
toris consensu, subleuauit, Fridericus autem pater
Onolsbachij fatis concessit, anno restitute salutis 1536.
etatis uero anno 76, Sophia uero charissima coniunx
anno 1512, nature concessit, reliquitq; liberos 17.
quorum sequuntur nomina ordine.

ELISABETHAM, natam anno 1480,
CASIMIRVM, natum anno 1481, qui
duxit uxorem Susannam, Alberti Bauarorum Du-
cis filiam, ex qua genuit duos Filios, filias uero tres,
de quibus infra loco.

I.
II.

MARGARETAM, quę Virgo per-
mansit, nascitur anno 1482.

III.

GEORGIVM Principem illustrissimum,
magnanimumq; Duce Silesię, natum anno salutis
1484. Tres habuit coniuges, prima fuit Beatrix de
Frangipanibus, Vida. Secunda Hedwigis Ducissa

III.

C 3 de Myns

de Munsterberg. Tertia Ducissa ex nobili Saxonie
Ducum stemmate prognata, filia Ducis Henrici
Saxonie. Nomina liberorum uero sequuntur ordine.

Liberi illu-
striss: Georgij
Marchio.

Beatrix uxor prima absq; uitali partu mortua.

HEDVVI G I S Secunda, filia Caroli
Ducis de Munsterberg, auxit domum illustrissimo-
rum Principum Brandenburgensium duabus filia-
bus:

A N N A M A R I A, quæ desponsata est
Duci Christophoro à Vuirtenberg.

S A B I N A quæ nupsit Illustrissimo Principi,
Ioachimi II. Electoris, filio primogenito I O H A N-
N I G E O R G I O.

Porro A E M I L I A E Ducisse Saxonie li-
beri sunt.

S O P H I A nata anno 1535. Onolsbachij
Die 23. Ianuarij, hora 13. M. 30. post meridiem.

B A R B A R A nata anno 1536.

C A T H A R I N A D O R O T H E A
nata Anno 1538.

G E O R G I V S F R I D E R I C V S na-
tus Anno 1539. Princeps, prudentia, pietate, ac
eruditio clarus, quem Deus omnipotens regat,
ac tueatur suo sancto spiritu, ac nobis longævum
concedat, domumq; Marchionum Illustrissimam, a
fluctibus, procelliscq; aduersis, custodiat ac defen-
dat.

G E O R G I V S uero pius, Christianæq; do-
ctrinæ deditissimus, ex hac miseriaram ualle secedit
Onolsbachij,

Onolsbachij, Anno ætatis 59. anno Christi 1543.
Die 27. Decembris, sepelitur magnifice, ac maxima
cum solennitate, apud Fontem salutis.

SOPHIA M sororem illustriss. principis
Georgij, natam anno 1485. Duci Lignicensi Fris-
derico nupsit.

ANNAM natam Anno 1487, quam Cas-
mirus Desch in Matrimonium duxit.

BARBARA M natam Anno 1488.

ALBERTVM Marchionem Branden-
burgensem, Ducem Borussiæ, natum anno 1490.
qui duas habuit uxores, primam, Dorotheam Re-
gis Danorum Filiam, ex qua genuit duos filios, filias
uero tres.

ANNAM SOPHIAM desponsatam
Illustriss. Duci Iohanni Alberto Megalopyrgensi,
principi pio ac studiorum fautori, & promotori sum-
mo, Anno 1555.

LVCIAM, FRIDERICVM, AL-
BERTVM, qui è uiuis excesserunt.

Alteram uero coniugem ELISABETHAM
Ducissam Brunsuicensem, anno 1550, ex qua genuit
unam filiam & filium,

ELISABETHAM.

FRIDERICVM natum anno 1553.

FRIDERICVM fratrem Alberti Ducis
Borussiæ natum anno 1491.

IOHANNEM natum anno 1493.

ELISABETHAM, natam anno 1494.

BARBARAM natam Anno 1495.

iunctamq;

V.

VI.

VII.

VIII.

I.

V.

VI.

IX.

X.

XI.

XII.

iunctamq; matrimoniali foedere, Georgio Landt-
grauio à Leuchtenberg.

XIII.

FRIDERICVM natum anno 1497.
qui fuit præpositus VVirzeburgensis, ac Genevæ,
dum partes inuictissimi Caroli V. aduersus Franciæ
cum Gallorum regem tutatur, Anno ætatis 40, an-
no uero salutis 1536, in uiuis esse desijt.

XIV.

VVILHELMVM Marchionem Bran-
deburgensem, Episcopum Rigensem Liuoniæ, na-
tum anno 1498.

XV.

IOHANNEM ALBERTVM na-
tum, anno 1499, electum in Archiepiscopum Mag-
deburgensem, & primatem Germaniæ (uiuo adhuc
Marchione Alberto Episcopo Moguntino) ac coad-
iutorum Halberstadiensem, 1548.

XVI.

FRIDERICVM ALBERTVM
natum anno 1501.

XVII.

GVMPER TVM natum anno 1505.
fuit Canonicus, deseruit res Neapolis humanas.

CASIMIR VS ex illustri Marchionum
Brandenburgensium domo natus, multo maiora per-
fecisset, si id Parcarum inuidia licuisset, ac non ante
ætatem fatis concessisset, Natus anno Christi,
1481, Carolo 5. Imperatori semper Augusto inter
charissimos habitus erat, ac ab eo in Pannoniam ad
Regem Ferdinandum, quo regnum armis defende-
ret, ac immanissimis Turcis resisteret, missus, Ductor
exercitus Regis primarius, intestinorum difficulta-
te correptus, in expeditione contra Iohannem Ze-
pusij Comitem, anno Christi 1527, diem extre-
mum

mum in arce Budensi, clausit, cui Susanna uxor Filiij Casimiri
Marchionis.
quinqz peperit liberos.

M A R I A M, Friderico Comiti Palatino ac
Duci in Hunsruk desponsatam.

A L B E R T V M Marchionem Brandes
burgensem, natum anno 1522, quem Deus regat,
ac gubernet.

K V N E G V N D I M Carolo Marchioni
Badensi desponsatam.

F R I D E R I C V M qui excessit e uiuis,
C A T H A R I N A M quae superos re-
liquit.

Porrò omnes ferè Marchiones apud fontes
Salutares, cum auita stirpe, terræ mandantur, & in
oppido Leinin quiescunt.

Videt itaqz C. T. Illustrissime Princeps, ut
Burggrauiatus Norinbergensis collatus sit Zolle-
rensi Comiti, Deinde Marchia, ac Electoratus Im-
perij dignitas in Concilio Constantiensi Burggrauio
Norinbergensi. Hosqz uiuis quasi imaginibus in ar-
bore summa parentis (pixe memoriae) diligentia qua-
si depictos, quibus me unice commendo, cum
primis tamen C. T. Principi clementissimo. Deus
optimus C. T. domumqz florentissimam Brandes-
burgensem regat, ac diu incolumem conser-
uet. Valeat C. T. meqz com-
mendatum habeat,

D De

DE ILLVSTRISSIMA MAR-
CHIONVM BRANDENBVR-
GENSIVM FAMILIA, EPI-
GRAMMA M. IOHANNIS MO-
ningeri Onolsbacensis.

F Ortia si laudem meruerunt facta parentum,
Summa quibus patria est, parta uel aucta salus:
Si uel in orbe ualet generosæ stirpis origo,
Vel si uirtuti gloria uera manet.
Cædere uix ulli quacunq; in parte uidetur
Brandenburgiacæ nobile stemma domus,
Namq; uetus statis pia si præconia spectes,
Nil ibi quod laudi desit, habere potes.
Si bene gestorum merito uideantur honores,
Offertur magni grande laboris opus.
Si modo Teutonici uirtus caneretur **ACHILLIS**,
Praelia, uel celeri gesta duella manu.
Crede mihi ingenium si dulce rediret Homeri,
Copia uix Vatem posset habere parem.
Si pietas animi, uel si reuerentia diuum
Quæritur, & puræ religionis amor.
Cuius erit satis apta precor tibi Musa **GEORGII**
Marchioꝝ Qui uatis carmina digna canet?
Qui satis insigni celebret tua nomina uersu,
Anchora cum fueris, præsidiumq; p̄ijs:
Namq; renascentis, per mille pericula, uerbi
Qua sis tutatus, semina pura, fide,
Inconcussa tuæ monstrat constantia mentis,
Cognita quæ uulgo, Principibusq; fuit.

Sed

Sed licet amissos Heroas Teutona plangat
Terra (nec immerito fortibus orba uiris)
Spes tamen hoc misero bellorum turbine fessis
Pendet ab ipsorum posteritate grauis.
Sæpe etenim in sobolem manant exempla parentū,
Et natis facies, mens eademq; manet.
Hanc quoq; subiectis spem, prole, Georgius auxit
Marchio, quæ stirpis, fama decusq; foret.
O utinam factis uirtutes æquet auorum,
Nobile ceu patris, nomen auiq; gerit.
Tuq; etiam uenerande Deus, qui clausa potentum
Diceris in manibus corda tenere tuis.
Ipse rege in tenero generosos pectore motus,
Totius & uitæ dirige quæso uias.
Sic bene pascatur diuino Ecclesia uerbo,
Et maneant pacis uiacula firma precor.

VVitebergæ. Anno 1554.

Dij Illustrissimi

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS
AC D. DOMINI GEORGII MARCHI.
ONIS BRANDENBURGENSIS, STETINI
ac Pomeraniæ Ducis &c. Burggrauij Nos-
rinbergensis Epitaphium, conscri-
ptum à Iohanne Hoffero
Coburgensi,

Principis Illustris sita sunt hic ossa Georgi,
Qui de Marchiaco sanguine natus erat.
Et genus à Ducibus summa cum laude trahebat,
Qui clypeos ueteris nobilitatis habent.
Quorum clara toga uirtus celebratur & armis,
Flammiuomiq; replet solis utramq; domum.
Huic fuit eximius genitor Fridericus, Achille
Qui patre Teutonico progeneratus erat,
Cuius in Imperio Germano cognita uirtus
Luxit, ut AEacides clarus ubiq; fuit.
Ac uelut haud generat pullos regina uolucrum,
In quibus eniteat uis genuina minor.
Nec creat acer equus damas, ceruosq; fugaces,
Nec timidum leporem sæua leæna parit.
Sic ab honorata deduxit stirpe parentum,
Semina uirtutum mens generosa Ducis.
Est quibus à Ducibus pietatis ad atria ductus,
Nil nisi magna uolens nil nisi iusta probans.
Vnde Dei propius genit; omnia cœpta probauit,
Igne Ducum accedit, qui pia corda, Deo,
Ipsius & magnis aptans se motibus ardor,
Pectoris ingenui nobilitauit opus.

Hoc

Hoc Heroa decus commendat, & auget, & ornat,
Quisquis & est talis, nobilis esse potest.
At decus est maius, cum mens pia Principis haurit
Saluificum uerbum, flamine mota sacro.
Cultibus integris, & C H R I S T I seruit honoris,
Adiuuat & purae religionis opus,
Talis erat princeps Dux ille GEORGIVS, auctus
Aeterni uera cognitione D E I.
Qui precibus triplex in numine numeni adorans,
Totius populi regula solus erat.
Auxilio cuius florens Ecclesia C H R I S T I,
Spargebat uerbi semina læta sui.
Auxilio cuius discebat dogmata sana,
Plurima corde pio dedita turba Deo.
Cumq; gubernaret iusto moderamine ciues,
His & munifico pectore ferret opem.
Castaq; sinceri seruaret foedera lecti,
Offerret casta uotaq; mente D E O.
Miscuit ista suis uotis, pia uota subinde,
Ah æterne D E V S meq; meosq; rege.
Te seruante cohors duret uigeatq; piorum,
Sit mea sub dextra patria salua tua.
Tu rege uenturam sobolem, serosq; nepotes,
Vt sint cultores nominis usq; tui.
Sæpius hæc repetens generosi pectoris HEROS,
Supremum tandem clausit in orbe diem.
Iamq; suos patres celebres, Heroas, & inter
Marchiacos fruitur luce perenne Dei,
O uenerande Senex salue, castissima uota
Sint rata pro cara posteritate tua.

D 3 Rectorum

Rectorum generi benedicas Christe benigne,
Da domus hæc summis floreat aucta bonis,
Quæ colit æternum sincero pectore numen,
Interit haud ullo tempore salua Domus.

Obiit anno Christi 1543. 27. Decembris anno ætatis sue 59. Mansus
dabatur terræ apud Fontes Salutares.

FINIS.



